

mus laudem S. Apostolis aliisque Martyribus, qui ignominiam & mortem truculentissimam perpeti, quam Christum abnegare, maluerunt. Excusationem crudelis Alcæonidis Aristoteles nuncupat ridiculam, quâ matricidium palliare sategit, quòd mater conjugem Amphiaræum, qui in bello Thebanæ terræ hiatu absorptus est, Polyniei aureo monili corrupta prodidisset.

35. Dicit autem Philosophus, in his & similibus casibus interdum iudicatu admodum difficile esse, quale pro quali sit eligendum, & quid pro quo sustinendum. Quia adhuc difficilius est in iis, quæ semel decreta & iudicio approbata, constanter perseverare: cum ut plurimum, quæ expectamus, molestiam creent, ea verò, ad quæ sit coactio, turpitudinem secum ferant. Quare laudem illi consequuntur, qui coactioni inevitabili vel halitum usque ad extremum animosè resistunt: Sed in vituperationem incurrunt, qui ab eadem sese devinciunt.

36. Circa finem nostri capituli præsentis quæstionem Philosophus movet, an invita sint dicenda, quæ fiunt ex affectu iræ vel concupiscentiæ. Tuetur autem partem negativam, idque pluribus argumentis. Nobis aliqua tantum adduxisse sufficiat.

37. I. Si quæ fiunt ex ira vel cupiditate, essent invita, neque pueri neque animalia bruta sponte agerent. Sed posterius est falsum. E. & prius. Consequentia patet: quia quæ animalia bruta & pueri agunt, ex ira & cupiditate agunt.

38. II. Aut omnia, quæ ex ira vel cupiditate fiunt sunt invita, aut aliqua solum, ita ut inhonesta fieri dicantur invitè, turpia verò sponte. Non posterius: quia non potest dari ratio diversitatis, & ubiq; causa est eadem. Huc pertinent verba Philosophi: Ridiculum est, si honesta sponte, turpia contra invitè fieri diceremus, cum una eademque utriusque sit causa. Non prius: quæ enim decet appetere, ea non fiunt invitè. At nonnulla quæ ex ira vel cupiditate fiunt, appetere decet. Ob aliquas enim causas irascendum est, & multa sunt, quæ concupiscere oportet.

39. III. Id.